



UNIVERSITY OF  
CAMBRIDGE

CLASSICAL TRIPOS PART IA

---

Thursday 8 June 2006 9 to 12

---

Paper 4

ALTERNATIVE PASSAGES FOR TRANSLATION FROM LATIN AUTHORS

*Answer all questions.*

**Sections A and B carry equal weight.**

**It is important to write good English.**

*Answers from each Section must be written in a separate booklet.*

*Write your number (not your name) on the cover-sheet of each Section booklet.*

**Candidates who do not write legibly may find themselves at a grave disadvantage.**

STATIONERY REQUIREMENTS

20 Page Booklets x 2

Rough Work Pad x 1

Tags

SPECIAL REQUIREMENTS

None

**You may not start to read the questions  
printed on the subsequent pages of this  
question paper until instructed that you  
may do so by the Invigilator**

## SECTION A

*Translate into English:*

- A1            Nisus abit; iamque imprudens euaserat hostis  
 atque locos qui post Albae de nomine dicti  
 Albani (tum rex stabula alta Latinus habebat),  
 ut stetit et frustra absentem respexit amicum:  
 'Euryale infelix, qua te regione reliqui?  
 quae sequar?' rursus perplexum iter omne reuoluens  
 fallacis siluae simul et uestigia retro  
 obseruata legit dumisque silentibus errat.  
 audit equos, audit strepitus et signa sequentum;  
 nec longum in medio tempus, cum clamor ad auris  
 peruenit ac uidet Euryalum, quem iam manus omnis  
 fraude loci et noctis, subito turbante tumultu,  
 oppressum rapit et conantem plurima frustra.  
 quid faciat? qua ui iuuenem, quibus audeat armis  
 eripere? an sese medios moriturus in enses  
 inferat et pulchram properet per uulnera mortem?  
 ocius adducto torquet hastile lacerto  
 suspiciens altam Lunam et sic uoce precatur ...

VIRGIL *Aeneid* 9.386-403

- A2            pars me Sulmo tenet Paeligni tertia ruris,  
                   parua, sed inriguis ora salubris aquis.  
 sol licet admoto tellurem sidere findat,  
                   et micet Icarii stella proterua canis,  
 arua pererrantur Paeligna liquentibus undis,  
                   et uiret in tenero fertilis herba solo.  
 terra ferax Cereris multoque feracior uuis;  
                   dat quoque baciferam Pallada rarus ager;  
 perque resurgentes riuis labentibus herbas  
                   gramineus madidam caespes obumbrat humum.  
 at meus ignis abest. uerbo peccaui uno!  
                   quae mouet ardores est procul; ardor adest.  
 non ego, si medius Polluce et Castore ponar,  
                   in caeli sine te parte fuisse uelim.  
 solliciti iaceant terraque premantur iniqua,  
                   in longas orbem qui secuere uias;  
 aut iuuenum comites iussissent ire puellas,  
                   si fuit in longas terra secanda uias.  
 tum mihi, si premerem uentosas horridus Alpes,  
                   dummodo cum domina, molle fuisset iter.

OVID *Amores* 2.16.1-20

**A3** Per idem tempus Hispania ulterior missis ad senatum legatis orauit ut exemplo Asiae delubrum Tiberio matricae eius extrueret. qua occasione Caesar, ualidus alioqui spernendis honoribus et respondendum ratus iis quorum rumore arguebatur in ambitionem flexisse, huiusce modi orationem coepit: 'scio, patres conscripti, constantiam meam a plerisque desideratam quod Asiae ciuitatibus nuper idem istud petentibus non sim aduersatus. ergo et prioris silentii defensionem et quid in futurum statuerim simul aperiam. cum diuus Augustus sibi atque urbi Romae templum apud Pergamum sibi non prohibuisset, qui omnia facta dictaque eius uice legis obseruem, placitum iam exemplum promptius secutus sum quia cultui meo ueneratio senatus adiungebatur. ceterum ut semel recepisse ueniam habuerit, ita per omnis prouincias effigie numinum sacrari ambitiosum, superbum; et uanescent Augusti honor si promiscis adulationibus uulgatur'.

TACITUS *Annals* 4.37

[TURN OVER

## SECTION B

*Translate into English:*

**B1** 'It's up to you, Senators.'

qua re si pace frui uolumus, bellum gerendum est; si bellum omittimus, pace numquam fruemur. est autem uestri consili, patres conscripti, in posterum quam longissime prouidere. idcirco in hac custodia et tamquam specula conlocati sumus uti uacuum metu populum Romanum nostra uigilia et prospicientia redderemus. turpe est summo consilio orbis terrae, praesertim in re tam perspicua, consilium intellegi defuisse. eos consules habemus, eam populi Romani alacritatem, eum consensum Italiae, eos duces, eos exercitus, ut nullam calamitatem res publica accipere possit sine culpa senatus. equidem non deero: monebo, praedicam, denuntiabo, testabor semper deos hominesque quid sentiam, nec solum fidem meam, quod fortasse uideatur satis esse, sed in principe cui non est satis: curam, consilium uigilantiamque praestabo.

CICERO *Philippics* 7.19–20

*specula* 'watch-tower'

**B2** 'Gonna have to face it: you're addicted to love.'

luctantur pectusque leue in contraria tendunt  
 hac amor hac odium, sed, puto, uincit amor.  
 odero, si potero; si non, inuitus amabo.  
 nec iuga taurus amat; quae tamen odit, habet.  
 nequitiam fugio—fugientem forma reducit;  
 auersor morum crimina—corpus amo.  
 sic ego nec sine te nec tecum uiuere possum,  
 et uideor uoti nescius esse mei.  
 aut formosa fores minus, aut minus inproba, uellem;  
 non facit ad mores tam bona forma malos.  
 facta merent odium, facies exorat amorem—  
 me miserum, uitiis plus ualet illa suis!  
 parce, per o lecti socialia iura, per omnis  
 qui dant fallendos se tibi saepe deos,  
 perque tuam faciem, magni mihi numinis instar,  
 perque tuos oculos, qui rapuere meos!  
 quidquid eris, mea semper eris; tu selige tantum,  
 me quoque uelle uelis, anne coactus amem!  
 linteum dem potius uentisque ferentibus utar,  
 ut, quam, si nolim, cogar amare, uelim.

OID *Amores* 3.11b

*iugum* 'yoke'  
*linteum* (here) 'sail'  
*seligo* 'select'

END OF PAPER